

sed & naturali aduersantur. Si dicas, rē vera haec non tam utilia esse, quam noxia societati: videndum autem esse, quaenam re vera utilia sint ei, hoc ipso aliunde admittis constare, quae ita utilia sint societati, ut turpia quoque non sint, & contraria voluntati diuinæ, & ad haec sectanda nos obligatos esse prius, quam de societate vel cogitemus. Quaenam vero sunt illæ verae, legitimæ & sufficienze rationes, quibus ex sola socialitate, seorsim spectata, demonstrabis, prohibitum incestum in linea recta esse? Ipse Pufendorffius & Ludouicus, quam id difficulter fiat, agnouere, eoque processit Thomasius, ut nullum incestum scriberet iuri naturali (Puffendorffiano scilicet) repugnare *, cui & Sibrandus recepta semel socialitate accedere cogebatur. ** Sine dubio hoc Grotio suboluerat, qui naturae sociali adiunxit rationalem, societasque custodiam, humano intellectui conuenientem, fontem constituerat iuris naturalis. Nihil ergo manifestius, quam socialitatem normam requirere: tantum abest, ut ipsa regula esse possit iuris naturalis, ad quam solam hominum componi officia debeant.

§. 7. Tum si hoc quoque mittam, & socialitatem rationalem pro fundamento substernam iuri naturali: haec ipsa etiam tam generalis non est, ut omnes hominis regat status, omniaque officia comprehendat. Fuit namque, & cogitari potest tempus, quo unus existat homo, ac solitarius viuat, qui tum sane DEO, ut Regi, sibiique, ut eius ciui, officia iustitiae debet, quae ex socialitate per rationes proprias directe deriuari haut possunt. Vidit hoc ipse Pufendorffius, eoque exsertis scripsit verbis, sibi propositum praecipue fuisse, officia hominum erga se inuicem tradere, & quid iuris inter homines mutuo exerceatur: *** quin & ipso in opere iam limites posuerat

* J. D. III. 2.

** l. c. cap II. §. 8.

*** Er. Scand. p. 253.